
Wolski Ioan. franc. Cursus philosophiae Vladislavianae fundationis disputationes ex scientia naturali.—



CVRSVS PHILOSOPHICI,

VLADISLAVIANÆ FVNDATIONIS.

DISPVTATIONES

EX

SCIENTIA NATVRALI,

Octo Libris Physicis Aristotelicis, duobus de Cœlo ac Mundo, & totidem de Ortu ac Interitu Rerum

CORRESPONDENTES.



HAS

DIVINA FAVENTE GRATIA,

In Alma ac Florentissima Academia CRACOVIENSI, Regni Schola Generali.

IOANNES FRANCISCVS WOLSKI, Sacræ Sedis Apostolicæ Prothonotarius, eiusdem Cursus Auditor, publicæ disputationi exhibuit ad diem Septembr.

Anni M.DC.XXXV.

CRACOVIÆ, b.

In Officina Typographica Francisci Cæsarij.

ONUS COMITATUR HONOREM

HENRICUS FIRLEJ DE DABROVICA EPISCOPUS POSNANIENSIS

VIRTUTEM MANENT ALTIORA

DEORSUM NUNQUAM

PRO ARA ET REGNI CUSTODIA





*Fama principum non imaginibus et sta-
tuis sed virtute ac meritis propagatur*



Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino,

D. HENRICO FIRLEY

DE DABROWICA,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopo Posnaniensi, Domino D. Amplissimo,

PERENNEM. FELICITATEM P.



Ngredere, felici & auspicato omine, augustam Posnaniæ Metropolim, Præsul Illustriss. diuturnos mærores atq; luctus, quos continuo fundebat, viduata optimo Pastore Ecclesia, Tuo illustrissimo conspectu, exhilara: desiderata enim omnium suspiria, non alio beneficentiæ Tuæ singularis testimonio, sed ipso aduētu atq; ingressu Tuo, omni post hominū memoriā tempore expectatissimo, gratius recreabis. Neq; enim illustrissimus Prædecessorum tuorum Sanguis, tot gloriosis virtutū factis, ad sublime Episcopatus istius fastigium euectus, desiderat facem dignitatis, & gloriæ, à se gestatam ab alio quoquam gestari, nisi à Te, Præsul Illustrissime; Quem, & magnificâ nobilissimi Sanguinis prognatum origine, & tot Virtutum maximarum splendoribus, inter cæteros, velut Lunam inter minora sidera, irradiatum aduertit; Neq; ipsa tantæ dignitatis maiestas, authoritatem imperij sui, cuiquam committere poscit, nisi Tibi, quem & ad promouendum DEI Opt: Max. cultum, & ad defendendam sacrosanctæ Religionis Catholicæ integritatem, Quem, (vt vno complectar verbo) ad rectè imperandum, ad fasces Ecclesiarum gerendos, ad amplissima Senatorum occupanda subsellia, à natura & virtute concessum aduertit, ac miratur. Atq; dum in hoc feli-

lici ingressu Tuo, omnium vota, & optata benigno vultu excipis, & cùm partim Cleri, effusas præ lætitiâ gestienti animo, acclamationes, partim Ciuium gratulantium voces, paternâ mente cõplecteris, multorum præterea tacito quodam consensu, ergà Te accensa miraris corda; patieris quoq; Antistes Illustrissime, vt ego horum è numero vnus esse valeam, cui maiori præ omnibus affectu accenso, etsi non noua quædam adferre, saltem faustas omnium voces, hoc Studiorum meorum testimonio approbare, vti per Gloriam literarum decet, ita per Authoritatis Tuæ liceat maiestatem. Magnum est dignitatis Tuæ documentũ, dum Te Antistitem Illustriss: omnes grata mente suscipiunt, & exosculantur: maius beneficentiæ & fauoris ergà omnes bonos à Te collati indicium, dum Te Patrem ac Pastorem suum, effusis in lætitiam animis honorant: Sed certè maximum est Virtutis Tuæ incõparabilis signum, dum Te & Præsulem Illustriss: & Pastorem imò Patrem optimum, deniq; Literarũ, & omnium qui eis incumbunt, Patronum profiteri fas est. Siquidẽ omnis excellentia & dignitas, è gremio literarum, velut è copiosissimo omnis perfectionis fonte, in vniuersos humani generis status & conditiones deriuatur. Neq; verò conuenientius visum est Te Patronum & Fautorem literarum appellare; quam Illustriss: Cels: Tuæ, rationem Studij mei literarij reddendo, & eas Philosophicas exercitationes, quas intra Doctissimos Almæ Acad: Crac. parietes continuo studio examino, Tuo conspectui, luciq; hominum, sub amplissimo nomine Tuo offerendo. Non dedignaberis, vt opinor Præsul Illustriss. primum hunc laboris & lucubrationis meæ fætum, hilari ac sereno vultu intueri, vt tali Paternâ voluntate & affectu Tuo, ad ampliora, spem & industriam ampliorem, in me excitares. Maiora quidem Illustriss: Celsitudinis Tuæ maiestas exposcit, ætas verùm mea & præsens in Literis occupatio, grauiora his, non valet offerre; quibus tamen, vt Tu Antistes Illustriss: Te Beneuolum exhibeas, debitâ cum animi mei demissione expeto. Viue interim felix Ecclesiæ quàm diutissimè. Dat. Crac. Die 20. Mens: Septembr. Anno Domini, M.DC.XXXV.

Illustrissimæ ac Reuerendissimæ Celsitud: Tuæ
deditissimus,
IOANNES WOLSKI Proth. Apost.

DISPVTATIO PRIMA.

De Naturâ, Proprietatibus, & Obiecto Philosophiæ Naturalis.

Assertio prima. Scientia Naturalis, inter cæteras Philosophiæ partes, non postremum obtinet locum: tùm quòd naturas & essentias rerum contempletur, tùm quòd homini maximè, præ reliquis, accomodata esse videatur. Et quanquã Heraclytus, Cratylus, Socrates & Pythagoras, referente Aristole lib. 4. Metaph: Cap. 4. in eâ fuerint sententiâ, vt existimarẽt de rebus naturalibus, nullam certã cognitionem dari, & ità nec Scientiã haberi posse; cum Scientia, sit cognitio certa, & euidens, & non nisi de rebus certis & infallibilibus haberi potest, per Aristotelem lib. 1. Poste. Cap. 26. addubitandum tamen minime est, de rebus Naturalibus veram & propriam haberi scientiam; ac ipsam Philosophiam Naturalem, quæ eiusmodi res contemplatur, esse veram Scientiam: cum essentiæ rerum, abstrahendo ab existentiâ in singularibus, quantûm ad connexionem essentialem prædicatorum, immutabiles & perpetuæ sint, ac de ijsdem per proprias affectiones & proprietates, Demonstratio tam propter Quid, quàm Quia est, habeatur.

Secunda. Etsi de Rebus Naturalibus Habitus necessariæ Conclusionis,, per Demonstrationem acquisitus detur, hic tamen cum non opus, sed puram veritatis cognitionem, pro fine habeat, relinquitur, Philosophiam Naturalem, esse speculatiuam Scientiam: quam, minimè Medicinæ illa pars Practica, quæ tradit præcepta rectè curandi, à speculatione impedit; cum sit alia Theorica, quæ naturam & quiditatem morborum & medicamentorum speculatur. Hæc eadem, licet diuersas res, vt potè animatas inanimatas, principia, principiata, simplices, compositas contempletur, vna tamen est, vt pote quod omnia hæc, sub vnâ ratione formali consideret, quæ cum vnitatem obiecti Scientiæ in communi constituat, etiam eius Scientiæ dicit vnitatem.

Tertia. Scientiam rerum naturalium esse hominibus naturalem, non tanquam vltimum finem, sed tanquam medium ad illum consequendum asserimus; naturale enim est hominibus, per cognitionem effectuum ad cognitionem causarum peruenire; hinc illud Doctoris gẽtium S. Pauli ad Romanos. INVISIBILIA DEI PER EA QVÆ FACTA SVNT, INTELLECTA CONSPICI VNTVR. Proinde cum Philosophia Naturalis nihil aliud est, quam rerum, quæ sunt effectus DEI cognitio, confert ad cognoscendum DEVM tanquam medium; præsertim cum ad hos duos vsus, mundus hic creatus est & homini traditus, & vt eius ministerio, vita hominis alatur & conseruetur, ac eius contemplatione homo, & in DEI notitiam perueniat, & in amorẽ alliciatur: per motus siquidẽ cognitionem, philosophantium Princeps Aristoteles, in vnius PRIMÆ CAVSÆ à quâ hominum vita dependet, notitiam deuenit; & ex Intellectus operatione, quæ libera est à concretione materiæ, Anima Rationalis, cognoscitur esse immortalis: ex magnitudine vero Cœlorũ, & affluentiâ omnium bonorum homini largitâ, facilè secum quisque cogitare poterit, quàm sint illa incomprehensibilia, quæ in vitâ illâ immortali, præparauit DEVS. O. M. diligeutibus se.

Quarta. Quoniam gradus Abstractionis formalis (penes quos distincta ratio Scientiarum sumitur) sunt 3. Primus à materiâ singulari sensibili, includens tantum materiam sensibilem in communi. *Secundus.* à materiâ tam singulari, quã sensibili communi, includens materiam tantum intelligibilem. *Tertius, à materia Sensibili & Intelligibili:* idcircò optimè Philosophia Naturalis, siue Scientia Speculatiua, diuiditur in Physicam, Mathematicam, & Methaphysicam. Quæ diuisio est Generis in Species, cùm & Scibile dicatur vniuocè de Physicâ, Mathematicâ, & Metaphysicâ; & inæqualitas immaterialitatis, non impediat Vniuocationem.

Quinta. In particulari, Naturalis Philosophia siue Physica, rectè subdiuiditur in 10. partes: quarum *prima* Principia, Causas, & Affectiones Entis Mobilis considerat. *Altera* Structuram

ćturam vniuersi docet. *Tertia* Generationem & Corruptionē, aliasq; Alterationes ostendit. *Quarta* Mixta imperfecta explicat. *Quinta* Animæ naturam. *Sexta* Eorum omnium cōplementum, quæ ad doctrinam animæ pertinent exactum tradit. *Septima* Animalium ingenium, solertiamq; enarrat. *Octaua* Partes eorundem animalium. *Nona.* Generationē eorum recenset. *Decima* Incessum eorundem edocet.

Sexta. Solum Corpus Generabile & Corruptibile, non potest esse Subiectum Naturalis Philosophiæ; cum eius Obiectū extendat se ad ea omnia, quæ includunt naturam, docente Aristotele 2. Physic. tùm ad ea omnia, quæ mota mouēt. Horum autem esse quædam incorruptibilia ac ingenerabilia, vt Cœlum, est manifestum: neq; verò dicendum est, Cœlorum & Elementorum esse considerationem, in Naturali Scientiâ, non tanquam partialium obiectorum, sed tanquam principiorum obiecti, cum hæc non solùm vt principia & causæ cōsiderantur rerum, verum eorum etiam Quiditas & Essentia vt rerum naturalium explicatur.

Septima. Substantia finita naturalis, prout Intelligentias continet, non est Scientiæ naturalis Subiectum, & si id subtilitas Scoti comprobare nitatur; cùm passiones naturales, de rebus à materiâ secundum rem abstractis, verificari non possint; ac & si Intelligentiæ moueri videantur, cùm à termino à Quo, ad termiuum ad Quem perueniant; tùm etiam existere in Loco, cùm nunc in terrâ nunc in Cœlo manere posśint, tamèn cum nec illæ, illarumq; motus sit corporeus, nec loci ab eis propria occupatio, quæ omninò ad passiones naturales requiruntur, ad considerationem Philosophiæ naturalis, pertinere non possunt; cum hæ non sint Formæ in materia.

Octaua. Corpus etiam Naturale & Mobile, quamuis pro materiali Subiecto, non tamèn pro formali bene possunt statui: cùm prius minus notum dicat, definitur enim & explicatur per mobilitatem: *Alterum* verò probetur esse, cùm tamèn Subiectum esse, supponi, non probari debeat: aliæ verò, quæcunq; inferioris ordinis reperiuntur sententiæ denatura-

lis Philosophiæ obiecto, plurimùm à veritate recedunt.

Nona. Ac proinde Obiectum Philosophiæ naturalis formale & adæquatum, Ens Mobile constituimus; cùm & ipse Philosophus affirmet, Physicam versari circà Ens, quod est principium motus, & ipsæ rationes formales Subiecti, vti ratio QVÆ ita ratio SVB QVA per Ens mobile significentur; prætereà & ipsa Entis coordinatio vt est scibile id declaret: Ens tamèn mobile intelligendum, non vt Ens dicit quid Materiale, Mobile verò, formale, sed prout significant vnitatem Obiecti, cùm non sit nouum ad speciem exprimendam, vbi deficit nomen vnum, adhiberi duo.

Decima. Methodus & ordo tradendarum Scientiarum communiter duplex est, Resolutionis scilicet ac Cõpositionis; prior quidem ab explicatione totius ad partes procedit, posterior verò è contrà; quapropter Philosophia Naturalis cum primùm causas, principia, partes Entis mobilis consideret, dicitur in sui cognitione seruare ordinem & methodum compositiuam.

DISPVTATIO SECVNDA,

De Principijs Entis mobilis in communi consideratis, & de modo procedendi in Scientiâ Naturali.

Assertio Prima. Obiecto Philosophiæ naturalis constituto principia eius Scientiæ inquirimus: ac etiãsi principia debeant supponi in Scientia teste Philosopho, tamèn si euenerit ea esse ignota, vel non ab omnibus concessa, non modo non inconueniens, verumetiam laudabile & necessarium est, per analysim ea probari. Definiũtur autẽ principia Entis mobilis; quæ nec fiunt ex alijs, nec ex alterutris, sed omnia ex ipsis; quæ definitio acuratè explicat essentiam principiorum, cum & habitudinem primorum principiorum, & distinctionem à reliquis quæ non sunt prima principia declaret.

Secunda. Et si Causa, Elementum, & Principium, pro eodem aliquando sumantur, sunt tamen interse distincta, Principium enim latiori modo se habet; dicimus enim in Diuinis

PA-

PATREM, esse principium FILII, non causam aut Elemētum, præterea causa & Elementum dicunt positiuam semper Entitatem, principium non item, vt patet in priuatione; ad hæc causa distinctam essentiam habet ab effectu, principium verò non: quod patet itidem in Diuinis personis, PATER enim & si sit principium FILII, *est tamen eiusdem essentiæ: vt Fides docet.*

Tertia. Rerum naturalium principia, neq; sunt infinita, neq; vnum: simplices enim & finiti naturæ motus, tum quædam naturæ cum infinito repugnantia, tollunt infinitam multitudinem principiorum, rerum quoq; naturalium compositio, vnitatem eorundem: atq; hinc eorum sententia facillimè refutatur, qui minuta corpuscula siue atomos, pro principijs rerum naturalium statuebant, cùm præter eorum infinitam multitudinem, numero principiorum repugnantem, difficultas saluandi motus in rebus naturalibus, ijs positis consurgat, hæc enim corpuscula omnis Quantitatis & Qualitatis sunt expertia.

Quarta. Multa quidem imaginati sunt antiquiores Philosophi, de Principijs rerum naturalium, dum alij 10. combinationes bonorum & malorum, alij Elementa 4. quidam calorem & lucem &c. statuerent, cuncta tamen hæc, esse veritati contraria, veritas Peripatetica docet, namq; per tales Philosophantium opiniones, vel extrinseca, vel non prima principia Entis mobilis attinguntur: Illa est laudabilis & præ omnibus recepta sententia, quæ Rerum naturalium, quatenus procedunt à non esse ad esse, siue, quatenus concipiuntur in fieri, Principia numero tria asignat, scilicet Materiam, Formam, & Priuationem.

Quinta. Sufficientia Principiorum præfatorum patet, quia cum ad omnem mutationem tam Substantialem quàm Accidentalē, requiritur terminus à Quo, terminus ad Quem, & Subiectum: certum autem est, *Priuationem*, cum per eam ad Formam sit transitus, esse terminum à Quo, *Formam vero*, cum eâ acquisitâ generatio cesset, esse terminum ad Quem,

Materiam autem, cum in eâ & priuatio præteritæ & introductio præsentis formæ reperiatur; esse Subiectũ; cæterum Principia rerum naturalium, si in facto esse considerentur, erunt duo, Materia scilicet & Forma, hæc enim ipsa intrinsecè componunt Substantiam naturalem, & in eâ semper manent, dum manet, in eaq; res ipsa naturalis resoluitur.

Sexta. Principia mutationis & si sint contraria non tamen omnia, Materia enim Formæ non contrariatur, nec Priuatio materiæ, Priuatio verò & si sit formæ contraria non tamen strictâ contrarietate: ac etsi quidam contrarietatem in principijs non solum ratione Formæ & Priuationis sed etiam respectu Materiæ & Formæ adstruant, tamen cum ex nomine Principij, non rectè inferatur contrarietas in omni principio, errant: illi quoque qui positiuam contrarietatem, inter principia asignare volunt, minimè veritati adstipulantur.

Septima. Formam à priuatione esse distinctam, quoniam conclusimus illa principia esse contraria, non est dubiũ; at Materia à Forma, & Priuatione, an & quomodo distinguatur, obscurum est: concluditur tamen, Materiam & Formam, adinuicem esse distincta realiter, cum Materia sit succesiuè sub pluribus formis, essentialiter & realiter distinctis; neque etiam posit identificari cum rebus à se realiter distinctis: ac et si Materia sit vnum cum forma, non tamen est idem; Vnitas enim illa existentiæ, aut suppositi, est non essentiæ aut formæ, qualis ad identitatem requiritur, *Priuatio verò,* à materiâ etsi realiter non tamen positiuè sed negatiuè distinguitur.

Octaua. Optimè Philosophus in tradendâ, Rerum naturalium cognitione sibi procedendũ esse constituit, ab Vniuersalioribus ad minus vniuersalia; hæc enim cũ sint maximè confusa & imperfecta, facilius poterũt ab Intellectu nostro prĩcipiò cognosci, qui ab imperfectioribus semper & confusis progreditur, præterea ingerit se totum integrale prius sub confusâ ratione Intellectui nostro, quàm partes eius. Hinc colligitur Vniuersale maximè esse primũ cognitum Intellectus nostri: hinc quoq; euenit vt nullam probationem principiorum maximè

ximè communium. VTHVIVS IMPOSSIBILE EST IDEM SIMVL ESSE ET NON ESSE, exquiramus.

Nona. Cum affirmamus Vniuersalia esse notiora nobis, & hæc eadem esse notiora naturæ, non est concludendum, omnia quæ sunt notiora naturæ, esse nobis notiora: cum notiora dicantur quædam, quæ sunt magis cognoscibilia, & notissima, quæ maximè: & sic DEVS gloriosus, dicitur esse notissimus naturæ, cum sit maximè cognoscibilis ex se, ad cuius tamen cognitionem Intellectus noster, habet se velut Oculus Nicticoracis ad lumen Solis.

Decima. Et si anteà Ordinem cognitionis in Scientiâ naturali, dixerimus esse compositionis, nunc verò rursus de ordine disputamus; an scilicet ab vniuersalioribus, an à minus vniuersalibus inchoandum sit in Scientiâ naturali? nulla tamen hinc inconuenientia exoritur, anteà enim Ordinem qui ex parte rei scibilis deducitur ostendimus, nunc autem Ordinem, qui est ex parte ipsius cognitionis declaramus.

DISPVTATIO TERTIA.

De Materia primâ, quæ est alterum Principium Entis mobilis, tum de Priuatione.

Prima. Datur Materia prima, distinctæ naturæ & essentiæ à Formâ; cum ratio ipsa, materiæ necessitatem, per mutationem Substantialem, tanquam per proprium effectum demõstret, neq; verò ad cognoscendum Quæstionem an sit de Materia, firmiores præter mutationem substantialem, sunt conquirendæ rationes; cùm nec Auerrois Quantitas absq; materiâ in cœlo, nec Auicennæ puri actus & puræ potentiæ (vti Relatorum) simultanea existentia, demonstratiuè & necessariò eam dari concludãt; prius enim illud simpliciter falsum, posterius verò, non in materiâ primâ sed in aliquo Ente alio, puram potentiam passiuam ei attribuendo verificari potest.

Secunda. Cum illimitatæ cuiusdam naturæ, ratione aduenientium formarum, esse videatur Materia, Chaos, Sylua, Ma-

Mater à quibusdam appelatur, iam verò ob imperfectionem suam, ab Æpyptijs vitæ fex, turpe & informe quoddam; tum Luna dicitur; hæc eadem ab Aristotele, Subiectum prout respicit formam accidentariam; Elementum prout res naturales ex eâ constant, & in eam resoluuntur, Materia deniq; in respectu ad formas substantiales appelatur.

Tertia. Materia cùm se habeat ad formas naturales, vt lapis vel argilla ad artificiatas, prætereà cum neq; sit Quid nec Quale, nec Quantum in actu, optimè definitur ab Aristotele, quod sit primùm Subiectum vnicuiusq; ex quo fit aliquid cũ insit, non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid &c. per hanc enim Definitionem ab omni alio distincto à se, & ab ipsâ materiâ secunda, separatur.

Quarta. Si quæris absolutam Materiæ cognitionem, in DEO glorioso inuenies, & INTELLIGENTIIS, nam que cum habeat esse suum proprium, cognoscitur, ab immaterialibus Substantijs per Speciem propriam, Intellectus tamen humanus, cùm eam pro hoc statu, cognoscat eò modo vt habet esse, hæc autem à forma totum esse obtinet, cognoscit eam, ideò cum analogia ad formam, siue ad viam inuentionis, per quam cognoscimus an sit, siue ad vltimum de ea formandum conceptum, per quem cognoscimus Quid sit.

Quinta. Infinita DEI gloriosi virtute manente, & creatione Mundi istius ex nihilo concessa, non rectè infertur Materiam primam non dari; generatio enim rei naturalis, modo naturali iuxta commune Philosophorum effatum, vti ex aliquo aliquid facit, ita ex nihilo nihil.

Sexta. In tantum Materiam primam, dicimus esse puram potentiam pasiuam, vt ab eius essentia omnem actum tollamus, neq; eam hanc ob causam (vt arguentes volunt) idem cum priuatione esse volumus, neq; ab ea proprietates, quæ in ea partim ad eductionem formarum ex se, partim ad appetitum naturalem earundem formarum reperiuntur, reijcimus; est enim & formarum subiectum, est & distincta vt dictũ à priuatione, admittit etiam proprietates suas, cum his tamen omnibus

omnibus est semper purè potentia pasſiua.

Septima. Sublato hoc fundamento, actu ſcilicet Entitatiuo Materiæ, exiſtentia materiæ propria nulla datur, & ſi quæ eſt, vti in rebus reperitur, hæc eſt ab exiſtentiâ formæ, atque hæc exiſtentia propria materiæ, non modò in facto eſſe, ſed etiam inpoſsibili non aſsignatur, idq; tam in naturæ viribus, quam ſuprà: impoſsibilitas enim & contradictio, non quidem ex parte Infiniti agentis, ſed ex parte defectus rei factibilis, quæ non eſt capax factibilitatis nec poteſt eſſe terminus actionis, prouenit.

Octaua. Potentia Materiæ, quæ ſecundum ſe, eſt indeterminata ad omnes formas, dicta aliter vniuerſalis, eſt de eſſentiâ Materiæ; cum ſe eâ ratione habeat ad materiam, ſicut actus ad forma m, tum quia ex eius & formæ coniunctione, fit vnum per ſe, quæ Vnitas compoſiti naturalis actum à formâ, potentiam à materiâ accipiens coaleſcit, Reſpectus qnoq; materiæ ad formas Subſtantiales, eſt reſpectus ei eſſentialis; ratio enim potentiæ creatæ, non modò paſsiuæ verùm & actiuæ, nec eſſe nec concipi poteſt, ſine reſpectu ad id, ad quod eſt in potentiâ, tum quia omnes potentiæ, in ordine ad actus & obiecta ſua ſpecificantur, quod ſine eſſentiali earum reſpectu, non accideret, cum ſpecificatio per eſſentialia conſtituatur.

Nona. Cum rationi aduerſum ſit, generari aliquid ante generationem ſui, & corrumpi ante corruptionem, idcircò Materia per ſe eſt ingenerabilis & incorruptibilis, eadem tamen vti generatur ita corrumpitur per accidens, cum mutetur ratione alterius extranei à ſua Quiditate priuationis ſcilicet; hæc eadem Materia non ſatiata forma, dicitur ratio & principium corruptionis, quamuis etiam negari non poſsit Formam vt eſt nō ſatians materiam, eſſe itidem radicem corruptionis, tamen Materia eſt omninò, & primum, magiſq; radicale principium corruptionis, quia diſpoſitiones quæ tendunt ad corruptionem, & ſi in toto recipiantur, eas tamen totum non ratione formæ ſed ratione ipſius materiæ ſuſtētat.

Decima. Nullæ dimenſiones, interminatæ dantur in Materia

in Materiâ primâ, ante ſuperuentum omnis Formæ, hinc enim & interminatum quid eſſe terminatum, quod implicat contradictionem; vel infinitum actu, in rerum natura ſequeretur, ſed præter hæc conceſſâ Interminata dimenſione, daretur aliqua Materiæ diſtinctio in partes, ante aduentum formæ, quæ, omninò à formâ prouenit, cum hoc tamen aſſerto, ſtat Materiam primam, eſſe radicaliter quantam; benè quoq; concluditur, eam eſſe cauſam diuiſibilitatis Quantitatiuæ in rebus, cum eam & ſi non formaliter, originaliter tamen includat.

DISPVTATIO QVARTA.

De Forma ſecundo rerum Naturalium principio.

Prima. Præter Formas accidentales, neceſſe eſt, dari formas Subſtantiales, quæ ſimul cum materiâ, conſtituant Compoſitum ſubſtantiale, neq; enim aliter rerum inter ſe eſſentialis differentia ſaluari poteſt: poſitis autem omnibus formis accidentalibus rerum omnium, diſtinctio ſubſtantialis tolleretur: ipſa etiam diuerſitas proprietatum & effectuum in rebus, cum à radice eſſentiæ vniuiuſq; pullulet, dari formas eſſentiales adſtruit, quibus ſublatis, turpe ac informe quoddã Chaos daretur.

Secunda. Subſtantialis forma, eſt quædam ſimplex & incompleta Subſtantia, quæ cum materiâ vt actus eius, conſtituit eſſentiam Subſtantiæ compoſitæ; cum autem Phyſici ſit negocij doctrinam inſtituere de toto Compoſito; præterea cùm ad eandem conſiderationem pertineat conſideratio Formæ ad quam & ipſius Materiæ, materiam autem ipſe Phyſicus contempletur, concluditur optimè, non tantum pertinere ad Phyſicum agere de formis generabilibus, & corruptibilibus in particulari & ſpeciatim, verùm etiam in generali nempe de formâ Phyſicâ in communi.

Tertia. Plurima apud Philoſophos ſortitur nomina, ob excellentiam ſuam Forma, Dicitur enim forma, quod formet & expoli-

expoliat ruditatem & deformitatem materiæ: appelatur species quod pulchritudinem rebus conferat, easq; in certâ specie collocet; nominatur numerus, quod suis essentialibus gradibus circumscribatur, neq; magis aut minus suscipiat: dicitur ratio & Quod quid erat esse rei; ab eâ enim definitiones & rationes rerum desumuntur: præterea insignitur nomine finis & termini, quod modo quodam infinitiem materiæ & indifferentiam tollat, ipsamq; generationem terminet: ad extremum Naturæ Diuinæ particula, Diuina quædam proles, ob nobilitatem suam quâ præest materiæ, appelatur.

Quarta. Si progressum in infinitum in rebus essentialiter subordinatis tollere volumus, neq; eorum admittere errorem qui existimabant, duas vel tres formas, vnam materiam informare posse: concludendum est, formas siue sint Substantiales siue Accidentales, non componi ex Materiâ & Formâ, sed esse simplices; non repugnat tamen vt vna forma accidentalis, componatur ex partibus integrantibus, pertinentibus ad eandem speciem, & sic calor per calorem magis augeri potêst; Quantitas per varias partes adiectas variè extenditur, Neq; etiam repugnat formã substantialem componi quodãmodo ex esse & essentia, cum per illam & esse & existere habeat compositum.

Quinta. Cum Actiones sint suppositorum: Formæ quoq; non valent operari per se: idcircò optimè concluditur, formam per se subsistere non posse, verum tamen quoniam forma non inhæret materiæ vt Accidens, tum quoniam participat naturam Substantiæ, præterea iam vnita cum materia dicitur habere aliquid subsistentiæ, non erit contrarium rationi, formas aliquo modo per se subsistere, affirmare: inter omnes tamen maius habet priuilegium Anima rationalis, huic enim subsistentia aliqua per se, etiam ante vnionem materiæ concedenda est.

Sexta. Causari formas rerum naturalium ab Intelligentiâ, ordinem naturæ peruertit; existentia enim materiæ primæ absq; formâ, aliquando subsequeretur, quod suprà, fieri posse

negauimus; Intelligentiæ enim ob libertatem agendi, quam à naturâ habent, aliquando formam in materiam introducerent, aliquando non: prætereà id repugnat, cùm res naturales à simili generentur, tale autem generans, est compositum ex Materiâ & Formâ, quæ compositio in Intelligentijs non admittitur: neq; illud verisimile est, Formas educi de potentiâ Materiæ inchoatiuè, talis enim eductio diceret aliquam actualitatem Materiæ, cum tamen illa sit purè potentia passiua; prætereà hinc prouenire, dari essentiam rei naturalis in naturâ absq; existentiâ.

Septima. Ad hæc cum Formarum Substantialium Entitas, consistat in indiuisibili, non potest sustineri, Formas educi de potentiâ Materiæ, ab esse imperfecto seu potentiali, ad esse perfectum seu actuale, hoc enim posito importaretur diuisibilitas earum, illud maximè veritati conueniens videtur, nihil Formæ præcedere in Materiâ, ante introductionem eius, namq; si aliter accideret, ante introductionem Formæ in Materiam, daretur Compositum naturale quod repugnat, prætereà non admitteretur Formarum de nouo productio.

Octaua. Formas itaq; educi de potentiâ Materiæ, non est extrahi illas de potentiâ Materiæ in qua existũt, aut ad perfectius esse ab imperfecto duci, verùm est, fieri eas, cùm dependentiâ à Materiâ, & quoad esse, & quoad fieri; cæterum Formæ ipsæ, non producuntur per se, sed potius comproducuntur ad productionem compositi; actio enim agentis, terminatur primò & per se in ipsum compositum: Animam tamen rationalem, cùm non fiat ab agente naturali, his legibus non esse adstrictam, certum est.

Nona. Si Materiam volumus non esse purum nihil, prætereà si concedimus eam ad Definitionem rei naturalis pertinere, cùm res naturales per Materiam & Formam definiantur, sequitur optimè, quod tota Quiditas rerum naturalium, non est ipsa Forma, sed etiam Materia, neq; verò dicendum, Materiam vt additamentum, in Definitione rerum Naturalium assumi, cùm in Substantialibus rebus perfectis, id, saluari non

possit

poſsit, prætereà cum Forma non ſit Ens completum in Specie, quale, totalis Quiditas requirit, conuincitur, eam non eſſe totam Quiditatem rei naturalis completæ.

Decima. Quoniam diſtinctæ Formæ Subſtantiales, antequàm introducantur in Materiam, eamq; informent, diuerſas neq; ſe compaſsibiles diſpoſitiones prærequirunt, ideò implicat naturaliter contradictionem, duas Formas Subſtantiales eſſe ſimul in eadem Materiâ, imò hoc idem per ſupernaturalem vim fieri non poteſt, cùm repugnet à parte rei, eſſe Indiuiduum idem, duarum Specierum de genere Subſtantiæ; iam ſi conſtat Materiam à duabus Formis informari ſimul non poſſe, optimè concluditur neq; vnam Formam poſſe plures portiones Materiæ informare, nam vt ſe Materia dat Formæ tota per modum Subiecti, ita Forma Materiæ tota per modum actus.

DISPVTATIO QVINTA.

De Naturâ ſeu Quiditate Entis Mobilis, & Arte.

Aſſertio prima. Multis modis nomen Naturæ à Philoſophis ſumitur, aliquando enim pro mente Diuinâ, rerum omnium opifice & Parente, quæ à quibuſdam Natura Naturans, non creata, ſed creatrix dicitur; ſumitur etiam pro generatione & corruptione viuentium, pro Materiâ quoque ſeu Subiecto rerum omnium primo, aliquando pro Formâ & Eſſentia vnicuiuſq; rei, non raro pro Materiâ Secundâ, ſeu proximâ, vt auro, lapide &c. ad extremum pro naturâ vniuerſali, quæ, res omnes naturales creatas complectitur, & appelatur natura naturata, ſiue creata.

Secunda. Definitio ipſius Naturæ, prout ad præſens inſtitutum, traditur à quibuſdam, quod ſit vita ſeu vis quædam per corpora diffuſa, ea ipſa, regens, & conſeruans; quæ definitio & ſi videatur attingere eſſentiam ipſius naturæ, tradita tamen ab Ariſtotele, eſt melior, cum dicit, Naturam eſſe principiũ & cauſam, vt id moueatur & quieſcat, in quo primo & per ſe,

& non ex Accidente ineſt, procedit enim à notioribus dum notificat ſuum Definitum expreſſè, prætereà cum eo ad conuertentiam dicitur, deniq; non per effectus, ſed per eſſe radicale ipſorum effectuum procedit.

Tertia. Certum eſt, dari quædam corpora naturalia, quæ nuſquam mouentur, vt eſt terra, lapides &c. dari quoq; quæ non habent quietem, vt ſunt corpora cœleſtia, quorum motus non eſt timendum quin ſtet, non tamen euertitur veritas Definitionis naturæ, eam enim eſſe principium motus & quietis, in ſenſu diuiſo non coniuncto accipiendum, neq; etiam natura eſt principium contrariorum effectuum, cum eſt cauſa motus & Quietis, nam quies naturalis motui naturali non opponitur, ſed eum perficit, ſecus de violento exiſtimandum eſt.

Quarta. Materiæ, competit nomen Naturæ, quoniam eſt primum Subiectum motus, Formas quoq; omnes, Vegetatiuam, Senſitiuam, & Inanimatam, eſſe Naturas, cum ſint cognatæ motuum non eſt dubium, Anima itidem Rationalis, cũ ſit vera & naturalis Forma hominis, eſt verè Natura, cæterũ quamuis nomen naturæ, Materiæ & Formæ competat, tamẽ non Vniuocè ſed Analogicè conuenit, dicitur, enim Forma magis natura, & præcipuum eius Analogatum, Materia è contra.

Quinta. Non euertit prædictam Concluſionem authoritas Philoſophi, qui multis in locis affirmat, Materiam non eſſe Naturam, cum dicit non eſſe principium motus, in ijs enim locis, modum principiandi actiuum, non verò paſsiuum (cũ quo ſtat Natura) reijcit à Materiâ, prætereà, & ſi compoſitum ex Materiâ & Formâ, ſit Subiectum vt Accidentium ita & motus, tamen cum potiſsima ratio ſuſtentandi accidentia in cõpoſito ſit Materia, ipſaq; ſit Subiectum eorum vt Quo, non quoq; hanc ob cauſam nomen & eſſentiam naturæ amittit.

Sexta. Etſi magnam ſimilitudinem Ars & Natura videantur habere, cum opera multum inter ſe conuenientia efforment, tamen diſtinguuntur inter ſe, ars enim ſiue accipiatur

Intellectua-

Intellectualis, distinguitur à naturâ tanquam spirituale à corporali, siue accipiatur effectiua, hæc etiam distinguitur tanquam Accidens à Substantia: idcircò concludendum est, artem nō posse attingere opera naturæ, effectiuè, sed tantùm applicando actiua passiuis, quæ tota operatio naturæ nō artis est.

DISPVTAIO SEXTA.

De Causa in communi sumpta.

Assertio prima. Causa, non in eâ amplitudine, quâ adæquat Latitudinem Principij, neq; in tantâ angustiâ, prout respicit effectum & Agens dicitur, sed prout intermedio se habet modo, explicatur optimè Definitione tali; Causa est id, ad cuius esse sequitur aliud. Influxus enim quidam, est formalis ratio, ipsius causæ, qui, per illam particulam, sequitur, expressus est, neq; etiam Analogia huius nominis Causa in respectu ad internas & externas, impedit definitionem, cum hæc non in rigore, accepta sit Definitio, sed potius descriptio.

Secunda. Quot Philosophorum diuersæ Sectæ, tot & opiniones de causarum numero statuuntur, hæ tamen cùm apparentibus innitantur argumentis, omittuntur, vera sententia approbatur, causas numero esse 4. Materialem, Formalem, Efficientem, & Finalem: sufficientia illarum patet, quia naturaliter ex nihilo nihil fit, & sic est materia, verum cum Materia non det esse actuale rei naturali, erit necessarius actus siue Forma, cùm autem, nihil se educat de potentiâ in actum, dabitur Agens siue Efficiens, hoc cùm non temerè agat, erit Finis, reliquæ causæ, vt pote Instrumentales, Idæales, reuocantur ad has 4. quarum duæ Materia & Forma sunt internæ, Finis & Efficiens externæ.

Tertia. Causa est prior suo effectu prioritate à Quo, quoniam distinctio essentialis & dependentia, quæ inter Causam & Effectum vniuersaliter intercedit, significatur per prioritatem à Quo, causa tamen accipienda est prout est in potentiâ, hæc enim non modò naturâ, verùm etiam sæpe tempore, &

ratione, prior est effectu, cum Entitas eius, ratione effectus quē potest causare, existat independenter, nisi inter ea mutua sit dependentia, vt Materiæ ad Formam, Subiecti ad Accidētia, iam causa actu, nunquam tempore, aut ratione, est prior effectu, dicitur enim esse actu, ob existentiam effectus actu.

Quarta. Causa efficiens Æquiuoca, & Finalis vltimata, sunt vniuersaliter nobiliores suis effectis; illa enim, effectum nobiliori modo, in se præhabet, hæc verò est bonum per se, cætera verò propter illud ipsum: Causæ quoq; intrinsecæ, si sigillatim conferantur, cum suis particularibus effectibus, sic dici possunt perfectiores & nobiliores effectis, causalitates enim datæ effectis, non possunt esse perfectiores causis, à quarum Entitate dependent, si verò simul sumantur, vt sunt actu causantes, sic cum totali effectu siue composito gaudent æquali perfectione, cùm sint idem realiter.

Quinta. Causæ in eodem genere causandi, possunt sibi esse inuicem causæ, diuersæ tamen numero, eodem quoq; numero, in diuerso genere causandi, possunt etiam sibi causæ inuicem esse; ex his colligere licet, nullā causam posse causari ab aliâ causâ, in eo in quo est causa, prætèrquam quod ipse Finis, posſit esse causa Efficientis, non quoad eius causalitatem, sed quo ad Entitatem, idq; non semper, præsertim dum iam est in facto esse.

Sexta. Prima Causa DEVS scilicet gloriosus, non tantum ad actiones causarum secundarum, sed etiam ad esse ac virtutem earundem concurrit, Entia enim per participationem, dependent essentialiter, ab Ente per essentiam, in omnibus suis actionibus: tùm quia inferiora, non valent causare absq; dependentiâ à superioribus, imò Prima Causa, concurrit ad operationes causarum secundarum, non modò conseruando vim & esse illarum, sed etiam illas ad operandum præmouendo, cùm mouens immotum, magis mouentibus motis moueat, & omnia præmoueat.

Septima. Vt idem numero Effectus, producatur simul à pluribus causis totalibus, eiusdem ordinis, non modò per naturalem

turalem, verùm nec per absolutam DEI potentiam est verisimile, est enim implicantia contradictionis, ex parte dependentiæ essentialis effectus, à causa totali, cæterùm vnum eundemq; numero effectum produci à duabus vel pluribus causis totalibus diuersi generis, non repugnat, & sic quælibet res naturalis quæ est vnus numero effectus, fit ex 4. causis totalibus, Materia, Formâ Efficiente & Fine; vnus etiam effectus numero, potest esse à pluribus totalibus causis, in eodē genere causandi, modò vt causæ illæ sint diuersi ordinis.

Octaua. Quamuis in Materiâ diuersæ & incompossibiles Formæ Substantiales, subiectentur: non tamèn illa, dici potest, propriè causa contrariorum effectuum; cùm nec ipsæ formæ sint propriè contrariæ, nec illa sit causa corruptionis vnius Formæ per se, sed per accidens, prout scilicet aliam suscipit: Finis tamen vt habet esse reale conceptum, potest dici causa contrariorum effectuum, cum eius apprehendendi gratiâ fiant contraria, Forma, vt forma non potest esse positiuè contrariorum effectuum causa, nisi aliquo modo per Accidens, prout præsentia & absentia eius consideratur, idem de Efficiente naturali præsertim proximo, non remoto & liberè agente intelligendum.

Nona. Cum Entia Physica sint per 4. genera causarum, res vero per ea sciantur, per quæ sunt, idcircò completa & adæquata demonstratio alicuius effectus naturalis, per omnia 4. causarum genera debet confici, nihil tamen impedit, per vnicam causam aut effectum dari demonstrationem incompletā, cum generabilitas atq; incorruptibilitas rerum, per solam materialem causam demonstretur, motusq; cœlestis perpetuitas, ex perpetuitate Motoris, authore Aristotele.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Causis per se in Specie, tam Intrinsecis, quàm Extrinsecis.

Prima. Per causalitatem, non est intelligenda Relatio causæ

causæ, neq; res ipsa siue Entitas causæ, sed influxus in effectũ, hæc itaq; causalitas Materiæ, respectu generationis, est eductio Formæ, de potentiâ eius, seu originatio eiusdem, atq; receptio, per hæc enim concurrit materia actu ad generationem, iam verò causalitas eius in ordine ad compositum, est ipsa Formæ receptio, & constitutio compositi, constitutio enim compositi quæ est communis Materiæ & Formæ, restringitur ad Materiam, per receptionem Formæ.

Secunda. Causalitas Formæ, est præcipua, constituere totum compositum per modum actus, seu esse partem formalem totius compositi, esse enim partem compositi, est commune Materiæ & Formæ, in eo tamen debent diuersificari, quod illa sit potentialis, hæc actualis siue formalis, actuat quoq; Materiam ipsa Forma, atq; seipsam communicat, vt hac ratione ruditas & deformitas Materiæ compleatur.

Tertia. Causalitas Efficientis, est ipsa actio, non tamèn prout est Forma, seu proximum agendi principium, nec prout motus, nec prout est realis relatio ad agens, sed prout importat actualitatem & perfectionem, quæ est actus secundus, quo formaliter & intrinsecè agens, agere dicitur, per talem enim actionem, per se efficiens attingit effectum, & effectus dependet ab efficiente, talis autem actio, non est de nouo producta cum non sit Substantia, nec accidens absolutum, sed est ipsa productio, prætereà istâ actione, Efficiens reducitur, ad actum productionis, non autem Formæ.

Quarta. Causalitas Finis, est esse id, cuius gratiâ agens agit, id enim ipsa essentia finis, quæ est esse id cuius gratia aliquid agat, demonstrat, hinc concluditur, causalitatem finis, non esse quod finis iam sit acquisitus, neq; dare medijs amabilitatem, aut bonitatem; non enim finis, iam amplius habet rationem finis quando est acquisitus, neq; etiam media amari propter finem, est effectus causæ finalis.

Quinta. Cum finis sit id in cuius adeptione appetitus quiescit, & sit id quod desideramus, hæc autem omnia non possint saluari, per eius motionem intentionalem, idcircò deducitur,

ducitur, Finem mouere secundum esse reale futurum, quod quidem esse connotat aptitudinem quandam, per quā efficitur, vt eius gratiâ fiat aliquid; mouet tamen prout est futurus non præsens, & prout est obiectiuè in Intellectu, motu non quidem proprio, sed metaphorico.

Sexta. Natura, quæ est principiū motus agit semper propter finem; res enim naturales semper aut plerumq; fiunt; tùm sēper producit natura id quod est melius, idq; per certissima ac ordinatissima media; præterea, quicunq; naturam propter finē agere negaret, nulla monstra admitteret in rerum natura, hæc enim præter finem, & intentionem naturæ, facta esse dicuntur. Quod tamen est contrà experientiam.

Septima. Cuncta tamen in naturalibus, quæ agunt propter finem, diuerso modo agere dicuntur; homo enim ipse agit propriè & formaliter, quoniam cognoscit rationem finis, & ipsam proportionem mediorum ad finem; anima lia verò bruta, agunt materialiter propter finem; cognoscunt enim finem, & mouentur ab illo ad agendum; non tamen formaliter cognoscunt sed materialiter; reliqua inanimata, agunt propter finem impropriè, quia scilicet videntur habere aliquam similitudinem in suis actionibus, cum ijs quæ agunt propter finē.

DISPVTATIO OCTAVA.

De Causis per Accidens, Fortuna Casu, & Fato.

Assertio Prima. Causarum quæ non propriè causæ sunt, pertinet etiam ad Physicam consideratio, hæc autem sunt, Fortuna, Casus, Fatum; Fortuna dicitur esse causa efficiens per accidens, ex electione, in his quæ rarò contingunt. Casus verò idem quod Fortuna, præterquam quod hîc non in rebus humanis, siue in ijs, quæ agunt ex electione, sed in alijs præter hominem accidat. Fatum verò est ordo causarum naturalium præordinatus & præscriptus à DEO: quarum causarum influxus in hæc inferiora est talis, vt aliquando possit deficere.

Secunda. Vti Fortuna ità & Fatum, est solùm in habentibus Intellectum: cæterum Fortuna non distinguitur re ipsâ à nâturâ, & ab Intellectu seu Voluntate, quia voluntas comparata ad effectum non perse intentum, dicitur Fortuna; eadem comparata ad effectum quem intendebat, dicitur causa libera: Fatum etiam non est causa, sed aliquid causæ, non enim importat nouam aliquam causalitatem, sed ipsum ordinem causarum, qui ordo cum dicat relationem, nullius est causalitatis principium.

Tertia. Ad has prædictas causas, pertinere videtur D E I prouidentia, idcircò definitur esse ratio Diuina, in summo rerum omnium Principe, constituta, quâ disponit cuncta ad suos fines suauiter: siue est quædam ratio siue conceptio ordinis rerum, in suos fines, in mente Diuinâ existens, cum proposito eum per se, vel etiam interuentu Secundarum Causarũ executioni demandandi; quæ demandatio D E I, vti per creationem, ità per creatarum rerum conseruationem, fit.

Quarta. Ad casum pertinere videntur ipsa monstra, siue defectus naturæ, ad effectum tendentis: definitur autem monstrum, esse effectus naturalis, à rectâ & solitâ secundum Speciem dispositione degenerans; & talia monstra, non modò in animalibus, verùm etiam in arboribus, herbis, lapidibus, accidere, manifestum est, causa illorum: est excessus aut defectus Materiæ, influxus syderum, agentium proximorum intensa vel remissa actiuitas &c.

DISPVTATIO NONA.

De Naturâ & Essentiâ Motus.

Assertio prima. Motus consideratio, vti præcipuæ affectionis Naturæ, pertinet ad Physicum. Est autem Motus, actus Entis in potentiâ: quæ particula actus, secernit motum, à termino à Quo, qui puram potentiam importat, & à termino ad Quem, actum perfectum significantem; per particulam verò in potentiâ designatur ordo motui intrinsecus, distinguitur

enim

enim per illum, ab esse Entium permanentium: ad hanc definitionem & si pertineat Generatio, Corruptio, non tamen omnes mutationes instantaneæ, quæ sunt rerum perfectarũ status, vt sunt Intellectiones, Volitiones &c.

Secunda. Omnis Motus est subiectiuè in mobili; cùm enim actus debeat esse in eo cuius est actus, motus autem sit ipsius mobilis actus, sequitur optimè Motum esse in mobili subiectiuè; insuper cum se mobile habeat in potentia ad motum, ab eo tanquam à Subiecto Motus recipitur; idem quoq; Motus, vt à Mouente procedit in mobile, est actus mouentis, vt verò in mobili recipitur, est actus mobilis ipsius, idem enim est quod agens mouendo efficit, & id quod res, quæ mouetur, patiendo recipit.

Tertia. Quoniam Motus habet incompletam Entitatem, cùm sit successiuum Ens; prætereà cum sit transcendentalis quodammodò naturæ, idcircò in nullo est Prædicamento directè; idem tamèn motus reductiuè potest referri ad plura Prædicamenta, scilicet ad prædicamenta terminorũ ad quos tendit, qui cum sint plures, etiam motus ipse pro eorum diuersitate, ad diuersa reducetur genera.

Quarta. Neq; ad Relationem, est per se motus, cum Prædicamenta relationis, variari possint de mobili, per mutationem factam in alio, ipso mobili non mutato: neq; ad Actionẽ aut Passionem, quia nulla est mutatio quam de necessitate cõsequatur variatio prædicatorum, de genere ipsius actionis & passionis, neq; ad Situm, Quando, Habitum, cùm eadem in his generibus accidant; ad solam igitur Quantitatem, Qualitatem, & vbi, est motus propriè sumptus, cum in his tribus Prædicamentis, conditiones ad motum necessariæ, reperiantur.

Quinta. Vnitas Specifica & Substantialis Motus, à solo termino ad Quem, formaliter tamen accepto, & vltimato, ab eo enim ipso vti nomen, itâ & ipsa definitio, motus desumitur; cæterum vnitas specifica accidentalis, dependet etiã à mobili, vt mobile est; motus quoq; localis, ad vnitatem suam

ſuam Specificam, præter vnitatem termini ad Quem, requirit vnitatem medij, ſiue viæ formaliter acceptæ.

Sexta. Vnitas numerica motus ſucceſsiui, per vnitatem mobilis, tẽporis, & termini conſtituitur: iam verò vnitas motus inſtantanei, requirit vnitatem ſubiecti, termini, & ipſius inſtantis: ex his patet ad vnitatem motus numericam, nullam eſſe neceſsitatem, dari vnitatem motoris, cùm motor ſit quid extrinſecum ipſius motus; item ad eandem motus vnitatem, non requiri vnitatem reſiſtentiæ, per quam fit motus, neq; regularitatem atq; vniformitatem ipſius motus.

Septima. Non eſt diſtinctio realis Motus, à termino ad Quem, datur tamen inter ea diſtinctio formalis ex natura rei, poſſet enim diuinitùs ipſe motus ſine termino conſeruari, ſi aliqua realis diſtinctio inter ea accideret, quod tamèn repugnat, cùm motus, ſit ipſa termini ad Quem acquiſitio, repugnaret itaq; contradictorie, motum poſſe conſeruari abſq; motu.

Octaua. Quoniam Specificatio motus, non à termino à Quo, ſed à termino ad Quem deſumitur, tùm & à medio formaliter, vt dictum, idcirco & contrarietas motuum, deſumẽda eſt per ſe primò & formaliter ex terminorum contrarietate ad Quos, cum vnitas, diſtinctio, diuerſitas, & contrarietas, conſequantur propriam ſpecificationem: cæterum nihil repugnat, vt à terminis à Quibus eadem contrarietas motuum deſumatur, præſertim in ſucceſsiuis, verùm concomitanter, non primò & per ſe.

Nona. Motus naturalis, eſt ſemper in fine velocior; cuius quidem ratio, non eſt, maior remotio à Principio violento, neq; minor copia medij motum impedientis, neq; infectio mobilis, contrarijs Qualitatibus, quæ depurantur, dum ſunt propiores loco ſuo naturali, neq; propter aliquam vim attractiuam, conſeruatiuam, aut perfectiuam loci, quam habet in reſpectu ad locatum, ſed propter minorem reſiſtentiã medij.

Decima. Vnum & idem mobile, non poteſt per ſe ſimul ac ſemel moueri duobus motibus contrarijs, etiam in gradibus

bus remiſsis, idem tamen, vno motu per ſe, alio per accidens, vel vtriſq; per accidens, optimè poteſt moueri, vt patet in formicâ aut muſcâ, in capite ambulantis hominis exiſtente; poſſunt quoq; duo motus contrarij, eidem mobili competere ſimul, ſed ratione diuerſarum partium.

DISPVTATIO DECIMA.

DE INFINITO.

Aſſertio prima. De Infinito agere ad Phyſicum pertinet, cùm ſit Quantitatis paſsio; prætereà oppoſitorum ſub eodem genere contentorum, ad eandem pertinet Scientiam conſideratio: dicitur autem infinitum, non cuius nihil eſt extrà, vt volebant antiqui, cùm & vniuscuiuſq; rei finitæ, & in ſuo genere perfectæ, nihil ſit extrà; ſed Infinitum eſt, cuius ſemper reſtat aliquid accipiendum, idq; in infinitum.

Secunda. Infinitum eſt apud Philoſophos quadruplex; aliud ſecundum eſſentiam, vt ſcilicet res careat in ſuâ Eſſentiâ termino, terminus autem eſſentiæ, in latitudine Entis, eſt quilibet gradus Entis, cùm præciſione aliorum, ſuo enim gradu perfectionis, in latitudine Entis vna quæq; res limitatur; aliud ſecundum durationem, cuius ſcilicet exiſtentiæ, neq; principium, neq; finis, eſt in tempore, aut ſaltem finis non datur; aliud ſecundum magnitudinem quod vel ſecundum p uram longitudinem, vel latitudinem, vel profunditatem intelligitur infinitum; deniq; ſecundum multitudinem, & eſt ipſa multitudo numeri omni limitatione carens.

Tertia. Naturæ viribus, Infinitum Cathegorematicè ſiue actu non poteſt eſſe, in rerum naturâ, cum enim ſit ipſa poteſtas naturæ finita, & limitata, non poterit viribus ſuis finitis infinitum producere, ſi tamèn infinitum Syncathegorematicè ſiue poteſtate accipiatur, tale naturæ viribus & poteſt dari, & de facto datur, vt in numeris, qui in infinitum addi poſſunt, & in magnitudinibus, quæ in infinitum poſſunt diuidi.

Quarta. Et ſi DEVS glorioſus ſit Ens infinitum, & ſecun-

dum duratione & secundum essentiam, cùm nullam præsupponat, causam efficientem, quæ posset eius Entitatem infinitè perfectam, ad certum gradũ perfectionis limitare, tamen cùm repugnet ex parte rei factibilis, dari vltimã partem, actualem magnitudinis; & dari infinitam, idcircò etiam, & per absolutam suam potentiam, non potest facere actu infinitum.

DISPVTATIO VNDECIMA.

DE LOCO.

Assertio prima. Tam Locus naturalis proprius, quàm simpliciter, non est, superficies continentis essentialiter, sed tantùm materialiter, distantia autem talis, ratione Centri, & Cœli, est formaliter Locus; non enim aliter possent verificari proprietates, à Philosopho assignatæ; hinc patet Locum esse aliquod Ens reale, cùm appetitus Rerum Naturalium qui etiam ad Locum est, per realia moueatur.

Secunda. Res naturales, vt contineantur à Loco, vult quadruplex ratio; primo, vt Figuram & Formam habeant ab eo: secundo, vt in conseruari ab eo dependeant: tertio, vt Ordo vniuersi istius non turbetur: vltimo, vt sit dependentia, inter Agens & Patiens, Mouens & Motum; Hinc proprietates Loci colliguntur, vt sit conseruatiuus locati, vt illud contineat, & trahat ad se tractione metaphoricâ, prætereà vt sit immobilis, quæ immobilitas ratione centri, & cœlorũ est accipiẽda.

Tertia. Quicquid est in Loco, est in eo ratione suæ Quantitatis, vnde cum Quantitas alia sit virtutis, alia molis, etiam existentia in Loco alia erit secũdum applicationem virtutis, alia secundùm applicationem, siue contactum molis: & tum dicetur res esse in loco, cum est actualis coniunctio locati cum loco, seu secundum virtutem, seu secundum molem, quoniam Quantitas, se solâ non est sufficiens ratio, actualiter essendi in loco.

Quarta. Non omne quod est in aliquo, est in loco; cum Forma

Forma dicatur esse in Materiâ, tùm Accidentia in Substantia, non tamen dicuntur esse vt in Loco: sed tantum ea, quæ propriè dicuntur esse in aliquo: & talia vel dicuntur esse definitiuè, hoc est, esse præsentia tali loco, secundum Substantiam suam, absq; commensuratione sui, à Loco, vel circumscriptiuè id est & esse secundum Substantiam suam, & commensurari loco: hic adhuc circumscriptiuus Locus, alius est Communis, alius Proprius.

Quinta. Esse in loco circumscriptiuè omnibus & solis corporibus competit; quoniam talis existentia in loco, importat contactum Quantitatis molis, locantis & locati, quæ non nisi in corporibus reperitur. Supremum cœlum est etiam in loco simpliciter, cùm se habeat immobiliter, in eodem spatio, ratione centri; verùm si Locus pro superficie corporis cõtinentis sumatur, sic non est in loco per se, sed ratione partiũ suarum idq; potestate non actu.

Sexta. INTELLIGENTIÆ siue ANGELI, & si sint Substantiæ incorporeæ, sunt tamèn in loco propriè, sed definitiuo non circumscriptiuo, sunt enim Angeli ità alicubi, vt non sint alibi, quod satis est ad occupationem loci definitiuam: prætereà non habent Quantitatem molis, per quod remouetur ab eis, circumscriptio à Loco, cæterùm DEVS benedictus, qui est suprema Iutelligentia, non est in aliquo definito & determinato loco, cùm vbiq; sit, & in omnibus, per Essentiam, Præsentiam, Potentiam.

Septima. Vnum numero corpus, esse simul in pluribus locis circumscriptiuè, est naturaliter impossibile, ac & si quidam supernaturaliter, id fieri existiment, per absolutam scilicet DEI potentiam, tamen cùm id repugnet ex parte ipsius rei, non enim vnius rei numero potest esse duplex Quantitas, idcircô affirmatur; Nec supernaturaliter vnum numero corpus, posse esse in pluribus locis circumscriptiuè.

DISPVTATIO DVODECIMA.

DE VACVO.

Assertio prima. Vacui consideratio, Loci cosiderationem consequitur, namq; cùm eo habet affinitatem quandam; definitur enim: Vacuum est Locus non repletus, aptus tamen repleri; siue Locus carens corpore: non potest autem dari Vacuum in rerum naturâ, si influxum cœlorum in hæc inferiora, & pulchritudinem ac ordinem vniuersi defendere est iustum, repellit enim vacuum ipsa natura, vt prædicta omnia, ad sui conseruationem retineat.

Secunda. Vacuum non modò de facto non datur, verùm nec de possibili, per virtutem non modò corpoream, verùm nec Incorpoream finitam dari potest, immutatio enim tunc ordinis vniuersi, quæ soli infinitæ virtuti conuenit sequeretur, Hinc patet DEVM benedictum posse facere vacuum; Hic enim est causa maximè libera & virtutis infinitæ, quæ vti ex nihilo, potuit tantam fabricam condere, etiam & Inane aliquod posset, Ordinem vniuersi quem constituit, immutãdo.

Tertia. Si daretur Vacuum in rerum naturâ, non implicaret corpus per illud moueri, quoniam moueri localiter per plenum conuenit corpori ab extrinseco, sine quo, res potest esse, & motus ille qui fieret per vacuum, non in instanti vt quidam volunt, sed in tempore fieret, ratio istius est, non resistentia medij, sed incomposibilitas terminorum simultanea, à Quo scilicet & ad Quem, & prætereà impossibilis duorum locorum ab vno corpore occupatio.

DISPVTATIO TREDECIMA.

DE TEMPORE.

Assertio prima. Vltima proprietas Entis mobilis in communi, est Tempus, quo, & si nihil sit notius: cùm à quolibet percipiatur Quod sit, nihil tamen eo difficilius, cum arduum sit cognoscere Quid sit: definitur tamen, esse numerus

motus

motus, ſecundum prius & poſterius, eſſe tamen illud, numerum motus, paſsiuè non actiuè intelligendum, numerus præterea pro ipſis partibus numeratis accipitur.

Secunda. Tempus non in animâ, ſed extrà eam habet eſſe, quoniam datur actus ſucceſsiuus à parte rei, qui eſt Forma ipſius, & Eſſentia temporis: non tamen dicendum, Tempus eſſe motum formaliter, ſed aliquid ipſius motus, Tempus enim & Motus, habent ſpecies & differentias diſtinctas eſſentialiter, quamuis tempus ſit ipſius motus paſsio: hinc aſsignatur diſtinctio inter illa non rationis vt volunt Nominales, ſed ex naturâ rei.

Tertia. Tempus vt eſt extrinſeca menſura motuum, eſt tantùm vnum numero apud omnes, ſic enim ſumptum, pendet à motu primi mobilis, qui apud omnes eſt vniformis; iã verò ſi accipiatur tempus, vt eſt intrinſeca duratio motus, ſic non eſt vnum numero, ſed ad multiplicationem motuum, multiplicatur, quoniam quilibet motus habet intrinſecam durationem, quam, tempus ipſum conſequitur.

Quarta. Æternitas eſt duratio & menſura rei omninò immutabilis, & in eſſe, & in affectionibus vt eſt DEVS glorioſus, Tempus eſt duratio & menſura rei omninò mutabilis, Æuum verò eſt duratio & menſura rerum earum, quæ ſecundum ſuum eſſe ſubſtantiale ſunt immutabiles, ſed poſſunt mutari accidentaliter, ſecundum locum, vt ſunt cœli, Intelligentiæ.

Quinta. Hinc patet Æuum ab Æternitate & Tempore, vt medium ab extremis differre, nam Æternitas vt dictum, eſt menſura rei, ſecundum omnia immutabilis, Tempus verò, menſura rei omninò mutabilis: Æuum verò eſt quid mediũ eſt enim menſura, partim mutabilis, partim immutabilis rei.

Sexta. Quoniam in ſucceſsiuis Entibus primum eſſe non datur, idcircò incipiunt per vltimum non eſſe, & deſinunt per primum ſui non eſſe, Subſtantiæ verò generabiles, cum generentur in inſtanti, idcircò per primum ſui incipiunt, per primum verò ſui non eſſe deſinunt, alias daretur inter medi-

um instans, quo Materia existeret sine Formâ, quod repugnat.

Septima. De Substantijs immaterialibus, vt ANGELIS, Animâ rationali, aliter intelligendum est, cum enim eiusmodi Substantiæ sint indiuisibiles, quoad esse: modus etiam incipiendi, atq; desinendi illarum naturæ, correspondebit indiuisibilis, atq; ità Substantiæ immateriales, incipiunt per proprium sui esse, & si desinerent itidem, per vltimum sui esse desinerent.

DISPVTATIO DECIMA-QVARTA.

De Primo Motore.

Assertio prima. Cum in causis omnibus detur subordinatio, neq; procedatur in infinitum in ijs, sed quædam operentur independenter ab alijs, ideò in rerum naturâ datur vnicus Primus Motor, à quo omnia mota pendent, ipse verò à nullo, & hic appelatur DEVS O. M. qui cum sit actus purissimus, est Ens eminenter perfectissimum, omnis compositionis expers, ipse sua intellectio & volitio, vbiq; existens, etiam in infinitis spatijs immaginarijs.

Secunda. Item DEVS gloriosus & si omnia moueat, ipse tamen est immobilis, cum omnem potentialitatem à se excludat, est etiam vnus, cum nulla ratio assignari possit, propter quam duo, vel plures assignari debeât, prætereà in omni genere causæ, deueniendum est ad vnam causam, quam multiplicare inconueniens est maximum, non est etiam corporeus, cum sit simplicissima essentia infinitè perfecta.

DISPVTATIO DECIMA-QVINTA.

De impulsu quo mouentur proiecta, tum de rerum Naturalium maximo & minimo.

Assertio

Assertio prima. Cum Agens primarium atq; mediatum, sit illud, in cuius virtute, secundariâ agentia & immediata, actiones exercent: iam verò mouentia secunda, & immediata, efficiant motum proiectorum à virtute, proijcientis, sequitur manifestè, proiecta moueri mediatè à proijciente, vt à mouente principali.

Secunda. Immediata causa, per quam mouentur proiecta, est ipsa virtus impressa mobili, à proijciente, quæ etiam rectè appelatur Causa instrumentaria: etenim cùm nec à proijciente, non à seipso, neq; ab Aëre moueantur immediatè, relinquitur ab ipsâ virtute impressâ proiecta moueri, aër tamen, tanquam causa, non iam immediata, sed quodammodo adiuuans concurrit actiuè, ad eundem proiectorum, motũ.

Tertia. Quoniam generans, graui & leui, in instanti generationis, confert non modò esse, verùm & alia quæ in eodem generationis instanti, grauis & leuis inclinationi debentur; præthereà cum ad illorum dispositionem, tam in eodem quam in sequenti instanti pertineat, idcircò grauia & leuia per se à generante, tanquam à principali principio vt Quod, mouentur; cæterùm eadem grauia & leuia mouentur ad sua loca per accidens, à remouente prohibens.

Quarta. Quatuor sunt termini, quibus res naturales definiri queunt, Quorum duo, dicuntur magnitudinis, alter quidem intrinsecæ, alter extrinsecæ, reliqui duo paruitatis, itidẽ intrinsecæ atq; extrinsecæ: Internus terminus magnitudinis dicitur ille, sub quo res esse ita potest, vt sub maiori non possit: Externus verò itidem magnitudinis dicitur sub quo res esse non potest, sub minore verò potest: Internus paruitatis est, sub quo res esse potest, & sub minore non potest, Extrinsecus deniq; paruitatis dicitur, sub quo res non valet esse, valet tamen sub maiori.

Quinta. Cũ prædicti termini statuantur in naturâ, vt res in certâ definiant Quantitate, præterea extrà cœlestia corpora, nullum corpus actu datur, in sublunari verò regione, nullum detur tantæ magnitudinis, vt posset esse maius eo, quod ex

totâ materiâ rerum corruptibilium concresceret, ideò res naturales, quocunq; modo sumantur, non possunt esse quantæcunq, magnitudinis.

Sexta. Idem naturæ institutum non effugiunt viuentia, cuiuscunq; Speciei illa fuerint, habent enim aliquem paruitatis & magnitudinis terminum, cùm videamus hominem, non attingere magnitudine suâ cœlum, nec paruitate ad vnius pulicis quantitatem contrahi, idem in reliquis viuentibus accidit, imò hæc rerum, ad maximum & minimum determinatio, à naturâ adeò intenditur, vt etiam cuilibet Speciei viuentiũ, quoad generationem, intrinsecum paruitatis & magnitudinis terminum præfinierit.

Septima. Ea quæ ex viuentibus gignũtur, vt sunt cadauera, quoad generationẽ sui, habent itidem internũ magnitudinis terminũ, ità vt terminus magnitudinis externus ipsius viuentis, sit internus terminus magnitudinis, ipsius non viuentis;& enim in eâ quantitate, quæ ob excessum tollit viuens, necesse est generari cadauer, cum sub ampliori repugnet, primum enim non esse viuentis, est primum esse non viuentis siue generatio cadaueris.

Octaua. Cætera non viuẽtia vt sũt simplicia corpora vt Ignis, Aqua, vt tam quoad generationem, quam quoad conseruationem, nullum admittunt terminum magnitudinis, tales enim naturæ, quo obtinent molem ampliorem, eò magis vigent, & acrius contrariorum vim depellunt, seq; tuentur melius: prætereà non requirunt organa certa, ad actiones suas obeũdas, ac proinde non repugnat ex vi formæ, quo minus in quãtumuis amplâ materiâ & generentur & consistant.

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

DE MVNDI INCEPTIONE.

Prima. Doctrinam Entis mobilis in communi, & passionum eius, sequitur eiusdem Entis mobilis explicatio in specie ordinæ doctrinæ, & quoniam tale Ens in Specie, applica-

tum ad obiecta materialia, diuiditur in mobile ad Vbi, & mobile ad formam iure meritò de mobili ad Vbi, disputatur; vt pote in quo localis motus reperitur, qui est reliquis motibus præstantior.

Secunda. Librorum de Cœlo & Mundo, non ipsa corpora cœlestia, cum multa Aristoteles de Elementis eorumq; qualitatibus consideret, nec totum Vniuersum, prout partes eius conueniunt in ratione corporis simplicis, sunt pro obiecto adæquato & formali, sed ipsum Ens mobile ad Vbi, cùm hic tractatus sit pars totius Phisycæ naturalis, cuius obiectum est Ens mobile in communi, partis itaq; Obiectum, debet esse Ens mobile, determinatum ad aliquid, quæ determinatio non est nisi ad Vbi.

Tertia. Reiecta sententia Philosophi, asserentis mundum esse ab æterno, concluditur Mundum factum fuisse à DEO in tempore ex nihilo, non per generationem, sed per creationem eamq; cum nouitate essendi, Creatio enim sine nouitate essendi, quæ etiam fuit optimè Aristoteli cognita, optimè stat cum æternitate, definitur autem Creatio, de qua sermo; productio totius rei subsistentis ex nihilo.

Quarta. Etsi Anaximander & Democritus de facto plures esse mundos asseruerint, Empedocles verò multos iam præterijsse crediderit, sentiendum est tamen cum Aristotele, vnũ solum esse & fuisse Mundum, imò nulla efficax ratio assignari potest, quæ sufficienter pluralitatem mundorum euincat, est quoq; hic mundus quoad naturam suam incorruptibilis, & si omnia sint corrumpenda, vt Fides docet.

DISPVTATIO DECIMA-SEPTIMA.

DE NATVRA COELI.

Assertio prima. Quoniam motus circularis datur, qui nulli ex 4. Elementis conuenit, igitur dabitur aliquod corpus

 simplex

simplex, cui per se competet, & tale est Cœlum, quod eam ob causam est corpus distinctum ab ipsis Elementis, & ideò vocatur Quinta essentia siue Substantia, est verò compositum ex Materiâ & Formâ, cum non sit purus actus, per se, subsistens.

Secunda. Cum Cœlum minimè patiatur à sublunaribus, neq; enim ob vicinitatem ignis aduritur, idcircò habet materiam in se distinctam Specie ab his inferioribus; prætereà cùm cœli habeãt diuersum modum informandi in se, ipsæque cœlorum & sublunarium materiæ, modo in se diuerso informantur: ideo deducitur diuersitas specifica Materiæ cœli à Materiâ sublunarium.

Tertia. Ex diuersitate motus corporum cœlestium, decem dari orbes cœli mobiles colligitur, qui omnes non quadratæ aut alterius alicuius figuræ, sed rotundæ sunt, datur prætereà extrà hæc corpora cælestia 10. mobilia, vndecimum immobile, quod appelatur Empyreum siue Igneum, est enim ad instar flammarum lucidum, in quo, est Sedes Beatarum Mentium, est verò hoc cœlum quoad concauũ sui rotundæ, quoad conuexum quadratæ figuræ.

Quarta. Actio cœlorum attenditur penes lucem, motum & influentias; agunt verò cœli in hæc inferiora corpora scilicet sublunaria, per se & directè, quod ipsa diuersitas temporum, caloris, frigoris, sterilitatis, &c. indicat: verum in voluntatem hominis non agunt directè, cum directa actio proportionem requirat inter agens & patiens, quæ non reperitur in comparatione voluntatis humanæ ad cœlum, cæterum in eandem voluntatem, indirectè agere potest & agit, prout corpus mouet, ad cuius organa voluntas operatur.

Quinta. Et si cessante motu cœli esset necessarium cessare omnes motus & actiones materiales, vt pote generationes, non tamen cessarent actiones intentionales, cum hæ non soleant fieri cum materiæ transmutatione, ac proinde non dependeant à motu corporum cœlestium, posset tamen cessante motu cœlorum esse generatio & corruptio in naturâ per

absolutam

absolutam DEI potentiam, cum DEVS possit facere ea se solo, quæ per secundas causas operatur.

DISPVTATIO DECIMA-OCTAVA.

De Ortu & Interitu Rerum.

Assertio prima. Quæ difficultatem de Ente mobili ad Vbi siue Formam extrinsecam habere videbantur, disputauimus, hic quædam de proprietatibus Entis mobilis ad Formam siue Substantialem siue Materialem: dictam intrinsecam disputabimus, ac in primis tractationis illius Aristotelicæ, libris duobus comprehensæ, Subiectum, Ens mobile ad formam intrinsecam, constituimus: vbi Ens mobile non sumitur pro radice motus, sed formaliter pro ipsamet mobilitate, & aptitudine ad motum, aliàs enim lib. de Animalibus, de Meteoris, & de Animâ, essent partes huius Tractationis.

Secunda. Dari Generationes & Corruptiones Substantiales, quibus Materia prima eadem manens transmutatur ab vna formâ Substantiali in aliam euidentissimum est: cùm enim dantur formæ Substantiales, & inter se incompossibiles, vt Forma Ignis, & Forma Aquæ, per aduentum vnius debet altera corrumpi, quod nihil aliud est, quàm Generatio Substantialis.

Tertia. Generatio essentialiter est mutatio de non esse ad esse, vt potè ad cuius essentiam terminus à Quo, ad Quem, & Subiectum necessariò & essentialiter concurrunt: hæc eadem generatio, præcisè & absolutè accepta, est mutatio realiter distincta ab alteratione præuia, licet prout habet esse à parte rei, perpetuo nexu habet coniunctam præuiam alterationem eadem generatio, ex habitudine ad generans est vera actio, cum motus ex respectu ad agens propriè actio vocatur, cuius terminus vt Quod; est Compositum Substantiale, idq; ordine executionis, ordine autē intentionis, compositum vt existēs.

Quarta.

Quarta. Generatio & Corruptio ſunt vna eademq; actio, quæ in quantum Formam præexiſtentem expellit, dicitur corruptio, in quantum verò nouam introducit dicitur Generatio: iſti verò termini actionum dictarum cum circa idem Subiectum verſentur, non ſũt realiter diſtincti, tum quod Priuatio ad eandem Speciem reducatur, ad quam & Habitus: hinc deducitur corruptionẽ eſſe de integritate generationis, quatenus generatio conſtituit Speciem Motus.

Quinta. In re quæ corrumpitur fit reſolutio in Materiam Primam, nulla Formâ Subſtantiali affectam, etiam illa quam vocant Corporeitatis, dato enim oppoſito, Generatio non eſſet mutatio totius in totum nullo manente ſenſibili, tùm quod generatio Subſtantialis non tenderet in eſſe ſimpliciter & ſine addito; cuius oppoſitum in noſtra ſententiâ falſiſsimũ. Idem tenendum quoad Formas Accidentales, ita, quod neque aliqua Quantitas, neq; Qualitas, neq; aliquod aliud accidens corrupti, remaneat idem numero in genito, nec ſecundum eſſe completum, neq; ſecundum incompletum, ſed omnia cum compoſito, in quo erant corrumpi, & alia denuo loco eorum generari, conſtantiſsimè tenemus.

Sexta. Falſum eſt dari in compoſito Heterogeneo ſiue diſſimilari, præter Formam totius, Formas partiales Subſtantiales ſingulis partibus organicis correſpondentes: forma enim compoſiti diſsimilaris, eſt Forma Subſtantialis, quæ non tantùm dat eſſe toti, ſed etiam eiuſdem partibus, hinc pluralitas ſine neceſsitate non eſt introducenda, tum quod Anima humana non eſſet tota in toto, & tota in qualibet parte, quod contrà doctrinam Peripateticam pugnare, dicere minimè erubeſcimus.

Septima. Alterationem eſſe motum continuum & propriè dictum: tàm quoad intenſionem, quam quo ad extenſionem; non quidem continuum ità, quod in toto vitæ tempore duret, ſed ità continuum, quod non fiat in inſtanti, ſed potius duret certo tempore, dicimus: eandem quoq; alterationem ſiue motum ad Qualitatem, adæquatè in alterationem, intenſionem

sionem & remisionem diuidi, fatemur.

Octaua. Intensio Qualitatis nequaquàm fit aduentu nouæ formæ perfectioris, corrupta imperfectiore quæ erat remissa qualitas; neq; eadem intensio Qualitatum, fit additione gradus ad gradum, sed maiore radicatione in Subiecto, quâ radicatione Subiectum magis redditur in actum ipsius Qualitatis, & illi Qualitati magis subijcitur, atq; ab esse imperfecto ad esse perfectius educitur.

Nona. Accretio seu augmentatio est motus continuus, cũ consequatur motum localem qui est continuus, solis viuentibus propriè conuenit, vt & Nutritio quæ est comes accretionis; cuius toto tempore Viuens idem manet numero: viuentia autem tam perfecta, quàm imperfecta, infra tempus accretionis, manent eadem iuxtà gradum identitatis, quæ augentur secundum omnes sui partes, quas non est necesse æqualiter crescere.

Decima. Omne agens Physicum agendo repati tenemus, cùm quoduis in quantum est actu, agit; & in quantum est potentia, patitur.

Vndecima. Mistio propriè sumpta, quæ nihil aliud est, quã miscibilium alteratorum vnio, non tantum est posibilis, sed etiam de facto datur, corpora enim tam inanimata quam viuentia, cum resoluantur in Elementa quæ naturalitet ordinata sunt ad misti generationem, eadem mista ex ijs fieri & in eadem resolui approbant.

Duodecima. Elementa quas habeant qualitates in summo, Thomistica veritas ostendit, Ignis namq; vtramq; Qualitatem nempe calorem & siccitatem in summo posidet; & enim cum duæ sint causæ siccitatis, altera frigus condensans, ac consumens humidum, altera calor humidum euaporans, qui cum præstet actiuitate frigori, cum maximo calore stare maximam siccitatem est euidentisimum: Aër & si sit calidus & humidus, non tamen eandem caliditatem & humiditatem in summ o obtinet, cùm summus calor cum summâ humiditate & è contrà stare, non posit: Aqua verò humiditatem habet in

summo non autem frigiditatem, maximè cum sensus tactus, aquam esse humidiorem aëre decernat, atq; hoc idem complexio piscium aquosa adstruat. Terra Elementorum despicatissimum, in summo est frigida non autem in summo sicca: alias enim summa frigiditas non haberet proprium Subiectū. Quæ quidem 4. Elementa vti nec grauitant nec leuitant in proprio loco, ità si fuerint extra sua loca naturalia non sunt pura, in loco autem naturali pura & si non secundum omnes partes; hæc eadem non manent in Misto virtualiter, ratione qualitatis in misto resultantis, sed manent virtualiter eò, quod formam misti consequantur qualitates secundum Speciem similes qualitatibus Elementorum, ac illæ contemperatæ.

PROBLEMATA Mathematica, Physica, Politica.

Primum. *An per Magneticam Virtutem rectè exhibeantur plagæ mundi? R. non eodem modo in variis regionibus, alibi enim magis declinat, alibi minus, itaq; & dimensiones camporum per magneticum indicem fallaces sunt & incertæ.*

Secundum. *An Quadratura Circuli sit possibilis? R. Geometricè vix possibilem esse, & si Clauius asserat ad 6. Euclidis; quam proximè tamen ad veritatem accedunt per numeros, Ludolphus, Snellius, & isto anno Ioannes Sturmius Lo uaniensis Professor.*

Tertium. *Rectenè Democritus censuit, si spatium illud inter cœlum & terram foret vacuum, vel formicam in cœlo nos conspecturos? Non rectè: Quia nisi affectio aliqua ab obiecto oriatur visio non fit; quæ cum in vacuo non sit, nec visio erit: Hinc verissimum Axioma Physicorum, In vacuo, & per vacuum nulla fit visio, Tantum igitur abest vt formicam in Cœlo cerneremus, sed ne lucidissimum quidem Solis corpureo modo videremus Arist. 3. de Ani: Tex; 34.*

Quartum. *Cur homo lætitiâ mirificè roboretur, tristitiâ autem omnes eius corporis vires languescant atq; concidant? quia*

cor

cor in lætitia iucundo spiritu refocillatur, in tristitia verò comprimitur ac deseritur à spiritu.

Quintum. *Quantitatis in rebus naturalibus, nulla est efficacia, aut vis alterandi; ideò frustra morbis curandis à superstitiosis, Verba, Characteres, Numeri, & suspensæ de collo schedulæ adhibentur.*

Sextum. *V. Vndarum dentur vera incendia ita vt sensibiliter ardeant, referunt enim historiæ Trasymenum Lacu marsisse totum. Liu: quoq; lib. 33. affirmat mare incendium passum. Agric. quoq; refert, lapidem in lacum, propè Denstadium Thuringiæ iniectum, dum in profundũ delabitur ardentis telipræsefer re speciẽ.*

Septimum. *Cur homines præ nimia lætitia extinguantur? Apud Valerium Maximum huius rei exempla habentur; iam autẽ aliunde causa huius rei peti non potest, quàm quod per nimiam lætitiam cor nimis dilatatum, spiritum vitalem sua ista effusiori dilatatione nimis attenuet, & tandem plane dissipet.*

Octauum. *Vera ne sint quæ de ignium diuersitate affirmantur? fertur enim quod Asbestus lapis semel accensus amplius extingui non potest: testatur quoq; Aristoteles esse quosdam ignes qui non vrunt seu simpliciter seu in certa materiâ, seu miraculosè, Maiolus quoq; refert, in Puteolano monte sulphureo, ignem esse manantem, qui neq; oleo neq; cera nec aliquo pingui, neq; sulphure quidẽ accenditur, aut augetur, nec aquâ restinguitur aut accenditur, stuppam iniectã non adurit, nihil deniq; ex eo potest accẽdi luminis.*

Nonum. *An in omni re ardua, rapienda sint consilia non quærenda; atq; adeò, an illud* Alexandri & Iulij Cæsaris *perpetuo valere debeat:* NIHIL CVNCTANDO? *dixerim; sed ità si in morâ arduis rebus sit periculum; quod si absit, Augusti symbolum Alexandrino prætulerim: FESTINA LENTE:*

HINC POETA,

Differ habent paruæ commoda magna moræ.

Decimum. *V. Visio fiat radiorum extrà oculos emissione, an verò immissione & specierum visibilium receptione:* posterius tuebimur cum Aristotele.

CERTAMEN MINERVÆ,

A

M. Joanne Cynerski Rachtamouto, Coll. Min. Ordin. Eloquent. Profess.

Generoso Domino
IOANNI FRANCISCO WOLSKI,
Sacræ Sedis Apostolicæ Prothonotario &c.
De Philosophia Naturali, in Palæstra WLADISLAVIANA disputaturo,

Boni ominis ergo Oblatum.

ECce alacres animos accendit in arma Minerua,
Arma frequens ambit, cupit arma, reuerberat arma,
Et clypei extremos vrget septemplicis orbes;
Saxificoq; minas Aegis ciet ore feroces:
Arma auidi poscunt iuuenes celeresq; sagittas,
Quos fixit per amæna vireta, & castra Mineruæ
Dux WLADISLAVIVS, generosi gemma Lycæi,
Magnorum decus eximium, columenq; Sophorum.
Plena Latina phalanx armatorum inde virorum
Arte & Marte fremit, subtilis sæuit Erynnis.
Hic quis, & vnde furor? quæ tanti incendia belli?
Pacificis quis vulnifero cum Marte repente
Ordo? quæ Species? quæ inquam commercia Musis?
Grandia mille cohortes in certamina surgunt
Pallida mobilibus signis Industria, *primas*
Agglomerat turmas, aciesq; inflectit amicas;
Huic fidæ Comites, vigiles Curæ agmine facto
Qua data porta ruunt, spes addita suscitat iras:

Et

Et Labor ipse pater per cuncta volubilis instat,
Instat, & vrget opus, gyrosq; tuetur apertos
Fortunatorum nemorum, sedesq; beatas,
In numeros numeros geminans, horasq; fugaces:
Hunc rerum sequitur variarum discolor vsus,
Ignea vis animi, rerum Experientia, constans
Puraq; Naturæ bonitas, & nescia fraudis
Simplicitas, pietatis amor, moresq; probati.
Virtutes spirant Martem, pugnamq; potentem
Arma arma inclamant, nec sat rationis in armis,
Omnibus vnus amor belli, bello vndiq; inhærent.
Pro Regina Minerua omnes certamina poscunt.
Hanc ambit Spes, Cana Fides, Prudentia præstans,
Et liquidus Candor, veriq; propago sereni.
Ecce, ecce è tenebris emergit Inertia, sursum
Ignauum caput attollens, & vertice nutans:
Hanc sequitur ronchus, torporq; soporq; stuporq;
Ociaq; & vacuis depicta insomnia in vmbris,
Plumbeus hinc serpit languor, post plumeus instat
Luxus, & insano permixta dolore voluptas.
Quocunq; ingreditur scelerata Ignauia, vbique
Consumit squallore herbas, florentiaq; arua
Proterit, inuidiaque vrbes simul inficit, orbemq;
Exuit ornatu, & latè mala semina spargit:
Atq; adeo iuuenes luxu somnoq; sepultos
Inuadit, teneris execrandum exitium afflans
Ingeniis. Sic tandem formosissima tristi
Franguntur vineta Notho, sic alta senescit
Imbre seges nimio, rapidæ sic obuia puppi
Inuidet, & velis obnubilat aura secundis.
Inferet ergo vim monstrum hoc virtutibus? Ergo
Contra acies pugnabit Palladis? ocyus arma
Arma armis illidite, stringite, sternite monstra,
Atq; iterum, atq; iterum ingeminate, & vulnera, & ictus,

O Iuuenes Parnaſſi maxima gloria noſtri.
Tuq; adeo FRANCISCE*, potens illuſtribus armis,*
Tu obſcænas Erebi ferro fœdare volucres
Ne dubita. Ecce Tibi auxilium Leopardus adornat,
POSNANÆ *inſignis Leopardus honore tyaræ,*
Fortibus auſpiciisq; potens, meritisq; atauorum
FIRLEÆ *Gentis: placet aſſuetudine vultus*
Qui ſemel imbuerit. Poſcant pappare minutum,
Triſtibus iratiq; auiis lallare recuſent
Diſſimiles aquilis, teneris ſimilesq; columbis
Pulli: Te niſi magna decent, & fortia; Perge
Perge alacri ingenio Naturæ promere doctæ
Diuitias. Te Fama vocat, vocat aurea Gentis
Gloria; & ingenuus qui floret in indole candor:
Atq; doce queîs principijs ab origine prima
Fluxerit hic orbis? cur tellus preſſa quieti
Neſciat è media mundi regione moueri?
Omnes vt pelagus terras, vt ſepiat aër
Vndiq; Neptuni fluctus, ſalſasq; lacunas?
Vt mutata ſuos prouoluant flumina curſus?
Æſtusq; pluuiasq; & agentes frigora ventos?
Vnde tremor terris? quâ vi maria alta tumeſcant?
Vnde ſolum incultum dudum & graue pondus inersq;
Submittit varios vllo ſine ſemine flores?
Haud tibi inexpertum eſt doctas deprendere cauſas,
Quas docuit ſapiens elementa per omnia Doctor,
Porticus inſomnis quas ordine pandit aperto,
Quasq; auido ingenio arripit indetonſa Iuuentus
Fruge Cleantheâ, & prægrandi paſta polentâ.
Nam tibi quæ Samios diduxit littera ramos
Surgentem dextro monſtrauit limite callem.
Hæc porge in lucem, generoſæ lucis amicus.
Virtutis ſtudioſum obſcuram ducere vitam
Dedecet ad moremq; impuri viuere Nattæ

Quem

Quem nisi honesta decent. Procul hinc, procul este profani,
Ignauum pecus, Alcinoi mancipia turpis,
Sponsi Penelopes graue terræ & inutile pondus.
Tantane vos sceleris tenuit fiducia vestri?
Parnassi audetis Phœbi sine Numine montis
Carpere summa cacumina? amœnaq; tollere dona?
Maturate fugam, & monstro isthæc dicite vestro
Non illi imperium Musarum, & docta vireta
Sed tibi Phœbe datum, tibi cessit sorte Minerua.
Ergo Sulphureos Erebi penetret scelus ignes,
Pro meritisque æternùm illâ se iactet in aula,
Et monstrum clauso monstrorum carcere regnet.
Dum tenera faciles exercet in indole mentes
Apprendit iustos studiosa Minerua triumphos.



NOY

ΝΟΥΘΕΤΙΚΟΝ.

Generoso Domino

IOANNI WOLSKI,

Sacræ Sedis Apostolicæ Prothonotario.

A

M. Matthia BVRSZOWIC Philosophiæ doctore, & Professore Cont. Philosophorum Seniore

OBLATVM.

Ardua non paruas animo dat gloria vires.

PRæclari Patris, proles generosa IOANNES
Almi Sarmatiæ spes non postrema Lycæi:
Candide Pieridum cultor: doctiq; Magistri,
Peruigil Auditor: lætus conscende Cathedram
Faustis auspicijs: hilaris deprome benignæ
Abdita Naturæ, quæ dotes indidit amplas.
Non diuersa tuum variorum sensa Sophorum,
De rerum primis animum terrore fatigent
Principijs: non difficilis cognitio Primæ
Turbet cum causæ cursus virtute secundæ:
Non imitata metu percellat, Dædala Physim
Ars: non terrificet Casus super omnia regnans
Cuncta labor, studiumq; tuum superabit abundè.
Quod si consilium Motus perplexa retardat:
Si variata Loci: si condita Temporis arcet:
Si celsi miranda tenet Motoris olympi:
Si latitans Mundi patuli Natura moratur.
Ne cedas animo, sed contra audentior ito.
Ac velut ingenti depressæ pondere palmæ,
Semper summa petunt, nec collabuntur in ima:

Sic

Sic Tu magnanimo cunctorum pectore perfer
Conflictus, vt tanto sis excelsior, ictus
Culta ferent quantò grauiores lemmata. Rupes
Ac velut in medio radicibus æquore firmis
Fixa, loco nunquam remouetur fluctibus acta,
Firmior ast remanet, iactas ac discutit vndas;
Viribus ingenij lites sic dirue cunctas
Telaq; subtili data solers excipe scuto.
Cur hæres dubius? cur spernis magna serenæ
Munera Naturæ? cur Palladis ægida temnis?
Ægide suffultus Ioue natus Perseus, atrum
Gorgonis anguicomæ collo caput abstulit, ora
In duros lapides cuius squallentia visu
Mutabant cunctos, & dulci pignore vitæ
Orbabant: doctæ Tu Palladis ægide fultus
Omnes inscitiæ dubitas superare Medusas?
Quod si fors dubiam tenet hæc sententia mentem:
En quoq; magnanimus certamina dulcia spectans
Tela paratus adest Leopardus pellere iacta.
Magnanimus: varios referens nam pelle colores,
Et varios Patriæ gratæ retulisse labores,
Et varios celsi titulos designat honoris.
Faustis auspicijs ergo generosa Propago
I Bone quo tua te gestit producere naua
Ingenij virtus: i quo sudorq; laborq;
Peruigil: î studij conamina quo pia ducunt.
Hæc quoq; si menti quidquam formidinis addunt:
Magnificæ ratio non vltima laudis habènda:
Vincere ne dubita, munitus laudis amore,
Ardua non paruas animo dat gloria vires.

Deō Opt: Max: Honor & Gloria.





Sub felicibus auſpicijs Perilluſtris, Admodum Reuerendi & Magnifici Domini,

D. ADAMI OPATHOVII,

S. Th. Doctoris & Profeſſoris, ad Sanctæ Annæ & Sacræ Facultatis Theologicæ


DECANI.

Studii Generalis Vniuerſitatis Crac.


RECTORIS VIGILANTISSIMI,

Diſputationi Præſidente.

Reuerendo ac Venerabili Domino Magiſtro, SIGISMVNDO GREGIEROWICZ, Regio, & pro tempore Curſus Philoſophici VLADISLAVIANÆ Fundationis Profeſſore, Cracouiæ ad S. ANNAM Canon: & Scholaſtico Moſcorouienſi.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0003609